

renuntiaffet, Christianorum dona inde asportari, atque franciscanorum custodiam amoveri jussit. Id cum Capellius legatus cognovisset, rei indignitate commotus, quacumque ratione, spiritum quoque pro religione effusus, regiis mandatis obsistere decrevit. Itaque Henrici Galliae Regis legato socio adscito, ambo Bassam adeunt; graviter conqueruntur: *Quod alias ne in mentem quidem superiorum Regum venerit, baud exigua cum Mehemetis dignitatis jactura nunc tentari, ut vetus tot annorum mos, illustribus Regum monumentis exemplisque probatus atque excultus, tolleretur, qui venerando huic monumento faverant, idque in summo honoris ac venerationis loco semper habuerant; franciscanaeque religionis viris crediderant, ut eo aditus cunctis Christianis ad illud invisendum & colendum pateret: si in suscepta sententia permanere velint, ne vetus Gallorum ac Venetorum cum Ottomanis Regibus amicitia detrimentum patiatur, vereri: bujuscemodi decreto per christianum orbem vulgato, cunctos Principes vehementer in Ottomanos Reges exarsuros.* His auditis, Bassa permoveri, haerere animo; non hanc Mehemetis mentem esse, ut christianos Principes amicos a Jesu Christi monumento adeundo arceat; sed hostes tantum (Pontificem, Caesarem, Hispaniarum Regem, Sabaudiae atque Hetruriae Duces innuendo) submoveat. Eodem officii genere legati cum Muphte, supremo turcicae religionis antistite, utuntur. Eorum querelis ad Mehemetem delatis, ut regiis jussis exequendis superfederetur, impetratur. Mox cum acrius urgerent, ne quid innovaretur, franciscanaeque religionis viri ex veteri instituto sacrosancti Jesu Christi sepulchri custodiam praessent, Rex assensus. Ea est sacrorum locorum religio, ut a barbara quoque gente, christianoque nomini infensa suspiciantur & colantur. Haec Byzantii.

Hieronymus Capellius cum Gallo oratore Turcas a consilio Servatoris sepulchri Christianis custodibus adimendi remouet.

Ceterum ista inter duos potentissimos Galliae & Hispaniae Reges pace, una cura Henrici erat, ut dissidentes suorum voluntates arctissime conglutinantur, edicto anni M.D.LXXVII. nonnullis immutatis, ad tumultus religionis sedandos vulgato. Nec minus in catholica religione farcienda ac propaganda studium, usu illius in Rupellae oppido, atque aliis urbibus & coenobiis, in quibus supra quindecim annos abolitus fue-